

# HUMANISTICA LOVANIENSIA

JOURNAL OF NEO-LATIN STUDIES

Vol. LXVI - 2017



LEUVEN UNIVERSITY PRESS

**HUMANISTICA LOVANIENSIA**  
**Journal of Neo-Latin Studies**

**Editorial Board**

*Editors:*

Prof. em. Dr. Dirk Sacré (KU Leuven, General Editor); Prof. em. Dr. Gilbert Turnoy (KU Leuven); Prof. em. Dr. Monique Mund-Dopchie (Université Catholique de Louvain); Prof. Dr. Jan Papy (KU Leuven); Prof. Dr. Lambert Isebaert (Université Catholique De Louvain); Prof. Dr. Jeroen De Keyser (KU Leuven).

*Associate Editors:*

Prof. Dr. Karl Enenkel (Münster); Prof. em. Dr. Charles Fantazzi (Windsor-Ontario); Prof. Dr. Marc Laureys (Bonn); Dr. William McCuaig (Montréal); Prof. Dr. Massimo Miglio (Viterbo); Prof. em. Dr. Jan Öberg (Stockholm); Prof. Dr. Elena Rodríguez Peregrina (Granada); Prof. em. Dr. R.W. Truman (Oxford); Prof. Dr. G. Hugo Tucker (Reading); Prof. Dr. Terence O. Tunberg (Lexington, KY); Prof. em. Dr. D. Wuttke (Bamberg).

*Editorial Assistants:*

Dr. Jeanine De Landsheer; Dr. Marijke Crab.

*Deceased Members:*

Prof. em. Dr. Jozef IJsewijn (KU Leuven); Prof. em. Dr. Leonard Forster (Cambridge); Mgr. José Ruysschaert (Bibl. Apostolica Vaticana); Prof. em. Dr. Lidia Winniczuk (Warzawa); Prof. em. Dr. Veljko Gortan (Zagreb); Prof. Dr. Constant Matheeussen (K.U. Brussel); Prof. Dr. Fred Nichols (New York).

\*

Volume 1 through 16 were edited by the late Mgr. Henry de Vocht from 1928 to 1961 as a series of monographs on the history of humanism at Louvain, especially in the *Collegium Trilingue*. These volumes are obtainable in a reprint edition.

Beginning with volume 17 (1968) HUMANISTICA LOVANIENSIA appears annually as a *Journal of Neo-Latin Studies*. The journal was founded by Prof. Dr. J. IJsewijn.

All issues of the journal published before 2018 will remain available in print edition and can be ordered at Leuven University Press, Minderbroedersstraat 4, B-3000 Leuven (Belgium) ([orders@lup.be](mailto:orders@lup.be)).

For future issues, please consult the 'Praemonitio' in this volume (p. VII)

**HUMANISTICA LOVANIENSIA**  
(JOURNAL OF NEO-LATIN STUDIES)

Ed. Prof. em. Dr. D. SACRÉ

Volume XVII,	1968, 162 p.
Volume XVIII,	1969, 164 p.
Volume XIX,	1970, 514 p.
Volume XX,	1971, 297 p.
Volume XXI,	1972, 412 p.
Volume XXII,	1973, 341 p.
Volume XXIII,	1974, 441 p.
Volume XXIV,	1975, 376 p.
Volume XXV,	1976, 306 p.
Volume XXVI,	1977, 280 p.
Volume XXVII,	1978, 366 p.
Volume XXVIII,	1979, 386 p.
Volume XXIX,	1980, 353 p.
Volume XXX,	1981, 278 p.
Volume XXXI,	1982, 256 p.
Volume XXXII,	1983, 471 p.
Volume XXXIII,	1984, 366 p.
Volume XXXIV,	1985, 513 p.
Volume XXXV,	1986, 336 p.
Volume XXXVI,	1987, 358 p.
Volume XXXVII,	1988, 334 p.
Volume XXXVIII,	1989, 378 p.
Volume XXXIX,	1990, 427 p.
Volume XL,	1991, 508 p.
Volume XLI,	1992, 450 p.
Volume XLII,	1993, 526 p.
Volume XLIII,	1994, 506 p.
Volume XLIV,	1995, 463 p.
Volume XLV,	1996, 608 p.
Volume XLVI,	1997, 450 p.
Volume XLVII,	1998, 466 p.
Volume XLVIII,	1999, 457 p.
Volume XLIX,	2000, 526 p.
Volume L,	2001, 557 p.
Volume LI,	2002, 412 p.
Volume LII,	2003, 510 p.
Volume LIII,	2004, 492 p.
Volume LIV,	2005, 480 p.
Volume LV,	2006, 306 p.
Volume LVI,	2007, 450 p.
Volume LVII,	2008, 412 p.
Volume LVIII,	2009, 538 p.
Volume LIX,	2010, 486 p.
Volume LX,	2011, 442 p.
Volume LXI,	2012, 660 p.
Volume LXII,	2013, 732 p.
Volume LXIII,	2014, 554 p.
Volume LXIV,	2015, 512 p.
Volume LXV,	2016, 544 p.

H U M A N I S T I C A  
L O V A N I E N S I A

JOURNAL OF NEO-LATIN STUDIES

Vol. LXVI - 2017

LEUVEN UNIVERSITY PRESS

*Published with support of  
Universitaire Stichting van België*



© 2017 Universitaire Pers Leuven / Leuven University Press /  
Presses Universitaires de Louvain,  
Minderbroedersstraat 4 - B 3000 Leuven/Louvain, Belgium

All rights reserved. Except in those cases expressly determined by law, no part of this publication may be multiplied, saved in an automated data file or made public in any way whatsoever without the express prior written consent of the publishers.

ISBN 978 94 6270 120 5

D/2017/1869/39

ISSN 0774-2908

NUR: 635

## CONSPECTUS RERUM

— Praemonitio .....	VII
---------------------	-----

**Eleventh Annual Jozef IJsewijn Lecture**

— Florian SCHAFFENRATH, <i>Some Considerations on the Poetological Aspects of Basinio da Parma's Hesperis</i> .....	1-21
---	------

**I. Textus et studia**

— Susanna DE BEER, <i>In the Footsteps of Aeneas: Humanist Appropriations of the Virgilian Walk through Rome in Aeneid 8</i> .....	23-55
— Luke B.T. HOUGHTON, <i>Nova progenies: Virgil's Fourth Eclogue and the Tradition of Christian Neo-Latin Pastoral</i> .....	57-118
— Francesco LO CONTE, <i>Esegesi e restitutio textus nella tradizione a stampa dei commenti umanistici a Giovenale</i> .....	119-152
— Françoise FERY-HUE, <i>Un grand seigneur humaniste, Georges d'Halluin: Œuvres inconnues, œuvres disparues, œuvres inédites</i> .....	153-228
— Stephen MURPHY – François ROUGET, <i>L'Epithalamium Martis et Palladis (Paris: M. de Vascosan, 1548): Une contribution de Claude d'Espence à la célébration du mariage de François de Lorraine et d'Anne d'Este</i> .....	229-249
— Joaquín PASCUAL BAREA, <i>Imitación del poema noveno del Corpus Priapeorum en un epigrama latino de Rodrigo Morgante a Santa Helena</i> .....	251-269
— Wojciech RYCZEK, <i>The Praise of the Humanities: De ratione studii of Stanislaus Sokołowski</i> .....	271-305

— Eduardo DEL PINO-GONZÁLEZ, <i>Una versión inédita del poema Bacchanalia del humanista flamenco Lévino Torrencio</i> . . . . .	307-330
— Tom DENEIRE, <i>Admiring the Admiranda? Jacob Masen SJ (1606-1681) and Justus Lipsius's Prose Style</i> . . . . .	331-369
— Joaquín José SÁNCHEZ GÁZQUEZ – José Manuel CAÑAS REÍLLO, <i>Literatura grecolatina tardoantigua en Isaac Newton: El ejemplo del manuscrito Yahuda 2.3 (National and University Library, Jerusalén)</i> . . . . .	371-407
— Walther LUDWIG, <i>Humanismus im 18. Jahrhundert: Das lateinische und deutsch-niederländische Stammbuch des Martin Martens Eelking aus Bremen (1731-1745)</i> . . . . .	409-438
— Per Pippin ASPAAS, <i>Nicolai Krog Bredal Oneiro-Kosmos. Id est mundus in somnio, poëma philosophico-heroicum (Hafniae, 1753): Editio diplomatica, præfatione notisque instructa</i> . . . . .	439-452
— Andrew DINAN, <i>Woodstock Letters and the Jesuit Commitment to Latin</i> . . . . .	453-486
<b>2. Instrumentum criticum</b>	
— Ludovica RADIF, No more, please: <i>Il 'pazzo' Moro di Germano Brixio (AP XI.127)</i> . . . . .	487-492
— Gilbert TOURNOY, <i>Andreas Schottus in the Correspondence of Henry Cock</i> . . . . .	493-499
— Dirk SACRÉ, Cultor maiorum. Lusus: <i>An Allegedly Lost Poem by Antonio Faverzani (1861-1922)</i> . . . . .	501-511
— Heinz HOFMANN, <i>Some Considerations on the Theoretical Status of Neo-Latin Studies</i> . . . . .	513-526
<b>3. Instrumentum bibliographicum Neolatinum</b> . . . . .	527-609
<b>4. Instrumentum lexicographicum</b> . . . . .	611-613
<b>5. Indices</b>	
— Index codicum manuscriptorum . . . . .	615
— Index nominum . . . . .	616-629

## PRAEMONITIO

Tempora mutantur ... neque hi commentarii, quae *Humanistica Lovaniensia* inscribuntur, immutabilitate insigniuntur. Noli vero timere, candidate lector, ne talis conversio vel etiam inclinatio *Humanisticis Lovaniensibus* impendeat, ut litterae neolatinæ desinant hisce libris annuis tractari. Nam materiae de quibus agetur manebunt eaedem, idem erit commentariis ingenium, una forma ad tempora, quae nunc sunt, magis accommodabitur: derelinquetur chartacea atque in eius locum substituetur digitalis, quae latius pateat. Quo fiet inde ab anno MMXVIII ut non iam hypothetic committantur commentationes, prelis typographicis non subciantur, formis non excudantur neque ex Academiae Lovaniensis domo editoria emittantur, verum per rete mundanum publici fiant iuris atque id quidem ita, ut ad eas accessus liber omnibus praebeatur, qui adierint hunc retis locum: [www.humanistica.be](http://www.humanistica.be). Qui plura de commentationibus parandis atque edendis scire cupiat, vel consulat [www.arts.kuleuven.be/sph/humanistica](http://www.arts.kuleuven.be/sph/humanistica), vel scribat ad [humanistica@kuleuven.be](mailto:humanistica@kuleuven.be). *Supplementa vero Humanistica Lovaniensia* de suo cursu nihil deflectent.

Ceterum monemus commentariorum volumina, quae typis sunt impressa, apud domum editoriam Academiae Lovaniensis venalia adhuc prostare eaque mandari posse per litteras electronicas ([orders@lup.be](mailto:orders@lup.be)); quae in tabularium electronicum sive digitale apud JSTOR sunt relata, in eodem tabulario perlegi et replicari posse.

Hac data occasione, cum commentarios hos novus iam grex doctus sit administraturus, par est ut prelo academico Lovaniensi praepositis gratias agamus magnas, maximas collegis, editoribus, adiutoribus in collegium eccloticum olim adoptatis. Horum enim opera et auxilio fieri potuit ut in lucem ederentur *Humanistica Lovaniensia*. Qui commentarii, a Iosepho IJsewijn ante hos quinquaginta circiter annos feliciter conditi atque ab eodem et deinceps a Gilberto Tournoy recti, vivant ter Nestoris annos!

D. Sacré

Per Pippin ASPAAS

NICOLAI KROG BREDAL *ONEIRO-KΟΣΜΟΣ.*  
*ID EST MUNDUS IN SOMNIO, POËMA PHILOSOPHICO-*  
*HEROICUM* (HAFNIAE, 1753): EDITIO DIPLOMATICA,  
PRAEFATIONE NOTISQUE INSTRUCTA\*

I. De *Oneiro-Kosmi* auctore

Die 2<sup>o</sup> mensis Martii anni 1753<sup>i</sup> textus Latine conscriptus c.t. *ONEIPO-KΟΣΜΟΣ. Id est Mundus in Somnio, Poëma Philosophico-Heroicum* paginas 66<sup>am</sup> usque ad 73<sup>am</sup> periodici *Kiøbenhavnske nye Tidender om lærde og curieuse Sager* (sive ‘Novellae Hafnienses de rebus eruditis scituque dignis’) nuncupati implevit. Quo in periodico alias Danica lingua colebatur, interdum autem Latina aliave. Praefationis loco editor Laconice ‘Følgende bliver’, inquit, ‘efter en vis Herres Forlangende meddeelt’, sive ‘Sequentia iussu cuiusdam Domini communicantur’. Dominus ille vero in textus calce designatur litteris ‘N.K.B.’, quibus sine dubio Nicolaus (vel Niels) Krog Bredal exprimitur.<sup>1</sup>

Nicolaus autem Krog Bredal Nidrosiae (Norvegice Trondheim) anno 1733<sup>o</sup> natus, Hafniae studiorum iurisprudentiae absolvendorum causa illo tempore commoratus est.<sup>2</sup> Tirocinium suum in campo lit-

\* Gratias maximas ago Theodorico (Dirk) Sacré atque iudici anonymo de acceptissimis manuscripti emendandi consiliis, necnon et Sunnivae (Synnøve) des Bouvrie de purgatione errorum variorum, qui contra indolem linguae Latinae peccaverunt. Quae autem menda restant mihi scilicet soli attribuenda sunt.

<sup>1</sup> *Oneiro-Kosmon* a Nicolao Krog Bredal esse conscriptum Holger Ehrencron-Müller definit in saepi meritoque laudato *Forfatterlexicon omfattende Danmark, Norge og Island indtil 1814*, Tom. I-XII + Supplementa (Hafniae: Aschehoug, 1924-1939), II (1925), 45-49 s.v. ‘Bredal, Niels Krog’.

<sup>2</sup> Biographia Nicolai Krog Bredal libri instar nondum exstat. Ceterum vide Liv Bliksrud, ‘Tilfellet Bredal: Et bidrag til norsk resepsjonshistorie’, *Edda*, 110 (2010), 244-259; ead., ‘Bredal, Niels Krog’, in *Norsk biografisk leksikon*, Tom. I-X (Osloae: Gyldendal, 1999-2005), I (1999), 447-448. De vita eius civili notandum est, Bredal studiis iurisprudentiae anno 1755<sup>o</sup> absolutis nomen litterarium Hafniae rapide acquisivisse. Anno autem 1761<sup>o</sup> e metropoli Hafnia in urbem natalem revertit, munere urbis consulis et secretarii

terario anno praecedente (i.e. 1752<sup>o</sup>) posuerat, cum librum primum *Metamorphoseon* Ovidii Nasonis Danice verteret. Postea varia melodramata sive cantica lusoria ('Singspiele') Danica lingua primus composuit typisque impressit; cum alia opera litteraria tum tractatum quendam medicinae practicae e lingua Theodisca in Danicam versum divulgavit. Latine autem, quod attinet ad opuscula impressa, praeter memoratum *Oneiro-Kosmon* nihil ab eo scriptum adhuc asservatur nisi poemata quaedam de observationibus planetae Veneris ante discum Solis transeuntis annis 1761<sup>o</sup> et 1769<sup>o</sup> institutis.<sup>3</sup> Auctor noster caelebs anno 1778<sup>o</sup> diem supremum obiit. Epitaphium suum litteris ad amicum Hafnensem Christianum Martfeld Nidrosia aliquot annis ante missis ioncanter ipse composuerat:<sup>4</sup>

Hic jacet Bredal,  
Poëtaster spontaneus,  
Consul involuntarius,  
invitis Musis  
Musis deditissimus etc.

Itaque vir illustris, de scaena theatrica necnon et scientia naturali bene meriturus et Hafniae et Nidrosiae famam postea acquisitus, iuvenis undeviginti annos natus opusculum c.t. *Oneiro-Kosmos* divulgavit. Quod viri illustris paene oblitum opusculum symbola dignum esse statuimus.<sup>5</sup>

recens institutae Societatis Scientiarum Norvegicae functurus. Deinde anno 1770<sup>o</sup> iterum Hafniam profectus est, ubi Scaenae Danicae Regiae ('Den kongelige danske Skueplads') partim director, partim vice-director erat, Societatem quoque Litterariam auctoribus Norvegicis Hafniae commorantibus ('Det norske litteraire Selskab') instituit, etc. De meritis Nicolai Bredal in canticis lusoriis conscribendis Rolf Gaasland et Hans Erik Aarset disserunt, *Mellom europeisk tradisjon og nasjonal selvbevissthet: Det norske klassiske drama 1750-1814* (Osloae: Spartacus, 1999); vide etiam Bliksrud, 'Den dramatiske krig: Konflikten rundt Bredals Tronfølgen i Sidon (1771)', in *Kritikk før 1814*, ed. Eivind Tjønneland (Osloae: Dreyer, 2014), pp. 206-219. Fama eiusdem ut directoris Scaenae Danicae Regiae late longeque dispergitur, vide e.g. Elin Andersen, 'Et teaterhus bliver institution', in *Dansk Teaterhistorie*,edd. Kela Kvam, Janne Risum et Jytte Wiingaard, Tom. I-II (Hafniae: Gyldendal, 1992), I, 123-176; Jens Engberg, *Det Kongelige Teater i 250 år: Til hver mands nytte*, Tom. I-II (Hafniae: Frydenlund, 1998), I, 76, 93-102. Item ut musicae fautor memoratur Bredal praeter alios etiam a Sten Høgel, 'Niels Hansen og det danske syngespils opkomst', *Musik & Forskning*, 6 (1980), 80-129.

<sup>3</sup> Vide Per Pippin Aspaas, 'Astronomy, Latinity, Enlightenment: Niels Krog Bredal's Poems Commemorating the Transits of Venus, 1761 and 1769', *Symbolae Osloenses*, 90 (2016), 205-234.

<sup>4</sup> C. Behrend, 'To Breve fra Niels Krog Bredal', *Personalhistorisk Tidsskrift*, 32 (1911), 59-66 (p. 61).

<sup>5</sup> Ut votis lectorum Latinam linguam minus callentium satisfacerem, versionem opu-

## 2. De *Oneiro-Kosmi structura*

Praeter titulum et exclamacionem prosaicam totius fere opusculi institutum exprimentem, textus omnis dividi potest in sectiones A, B atque C, quarum A somnium ipsum 105 hexametris dactylicis narrat, B interpretationem somnii sermone soluto periodos decem complectente offert, C hexametris dactylicis quattuordecim exclamacionem respicit et institutum auctoris fusius explicat.

Initio auctor, ‘Hei! Homines!’, exclamat, ‘qvantilla sumus! qvam valde minuta, si immensum spectes.’ Quam autem exclamacionem adversari videntur versus **A1-5**, quippe qui (ironice) statuunt Hominem sapientem finem ultimum creationis Divinae habendum esse. Mox autem (vv. **A6-9**) iterum reicitur haec notio vulgata. Nihil enim aliud est Homo, nisi ‘pars parvula’ universi.

Tum versibus **A10-19** incohatur fabula ipsa, cum narrator, limiti sopitus appropinquans in mundum alienum transgredi cooperit. Primo Deum omnipotentem videt et ad splendorem creationis obstupescit. Deinde, versibus **A20-26** excursu quodam medico-anthropologico non somnium, sed ἔκστασιν, id est quasi iter spirituale ad magiam gentilem pertinens re vera se pati declarat auctor. Versibus **A27-33** heros in immenso atque ignoto quidem, sed familiari tamen mundo versatur. Quin facies mundi a sua propria terra discriminari vix potest.

Versibus **A34-62** timor narratori exponitur. Primum solitudo, deinde indigenae fortasse inimici, lingua prorsus peregrina utentes, eum vexant. **A34-40** de solitudine queritur narrator, timens, ne nullum comitem usquam inveniat. At **A40-43** querelae exaudiuntur, nam turba indigenarum concurrevit. **A44-51** manifestum fit, etsi mundus alienus a personis ratiocinandi et sentiendi facultate praeditis incolatur, narratorem et indigenas alterum alteros non intelligere. **A52-62** turba narratorem, timore mortis sudantem, secum ducit.

Versibus **A63-90** narratori persuasum est, nihil infestum ab indigenis hospitibus sibi imminere. Timore liberatus (vv. **A63-68**) hospitum linguam vitamque civilem atque terram paulatim cognoscere coepit. Versibus **A69-79** de vita ut ita dicam religiosa agitur. Atheistae (si hoc

sculi Bredaliani Norvegicam confeci, ‘Niels Krog Bredals *Oneiro-Kosmos* (1753): Oversatt til norsk, med en innledning og etterskrift av Per Pippin Aspaas’, *Aigis*, 17.1 (2017), 1-11. Nunc autem somnium illud Latinum obscuritate occultum eruditis peregrinis exponere velim.

mihi verbo uti licet) inter plebem vulgarem vigent; Christianis similes, qui numini mundi creatorio ‘præmia qvod justis tribuit, punitqve scelestos’ credant, alteram sectam constituunt. Versibus **A80-81** sodalem quasi Christianum invenit narrator, ut mundum alienum melius cognoscat. Mox (**A82-87**) phaenomenon quoddam mirabile observat. Medio enim orbe motus quidam nunc deorsum, nunc sursum vertentes tam regulariter occurrunt, quam nobis noctium et dierum, quin etiam tempestatum vices.

Introducitur versibus **A88-90** fama de monte quodam ignivomo, quem visu dignum narrator habet. Non paulo postea (**A91-102**) expeditio quasi scientifica in regionem remotam, ubi mons ignivomus est, instituitur. Agricolae monti vicini cottidie timent, ne se terrae hiatus devorent. Quod ad montem ignivomum ipsum attinet, is terrestribus id genus montibus persimilis esse describitur; accidit fragor horrificus de profundis interdum erumpens.

Demum versibus **A103-105** iam e regione montis ignivomi, iam ex orbe terrarum alieno in proprium suum mundum vento inopinato ductus reddit auctor.

Sermone deinde soluto auctor ipse suam tradit ‘solutionem antecedentium’, sive interpretationem somnii. Sententiis **B1-3** ‘liqvet’ eum, ἔκστασι effectum (cf. **A20-26**), in corpore gigantis cuiusdam, una cum insectis parvulis, id est pediculis similibusve speciebus commoratum esse. Quae cum ita sint, arbores ut pili humani (**B4**, cf. **A31-33**), motus in medio orbe regulariter occurentes ut venter respiratione affectus (**B5**, cf. **A82-84**), mons ignivomus ut exhalationes oris humani (**B6**, cf. **A84, A90, A93-97**) interpretanda sunt. Etiam fragor ille terrae motuum comes ex causis humanis oritur, tussi nempe sternutamentoque (**B7-8**, cf. **A101-102**). Sententiis denique **B9-10** apologia invenitur, cur fabula ratione certa indigeatur. Namque, ut ait auctor, in somniis ‘nullus ordo’ inveniri posse solet.

Conclusionis vice fungitur sectio **C**, ubi quattuordecim versibus ex parte hominum modestia quaedam erga cetera animalium genera petitur. Namque auctorem versibus **C1-3** exclamacionem illam opusculi incipientem respicere, **C4-9** anthropomorphismum complecti, atque **C10-13** animalium facultatem sentiendi magni ducere vidimus. Animali enim cuique ‘sua relligio’ est (**C6**, cf. **A69-79**), timor mortis (**C11-12**, cf. **A98-102**), ‘rixæ atque odium’ (**C8**, cf. **A48-51**). Versu demum **C14** auctor exhortatur ut philosophi divisionem inter hominem et cetera animalia adhibitam diligentius scrutentur.

### 3. De somniis neolatinis

In egregio opere de satura Menippea deque republica litteraria Ingrid De Smet copiam saturarum inter annos 1581<sup>um</sup> et 1655<sup>um</sup> Latine conscriptarum, quarum argumentum maiore ex parte oneirographicum erat, indagat.<sup>6</sup> Namque, exempli gratia, collectioni saturarum late diffusae, c.t. *Elegantiores praestantium virorum satyrae* (ed. princ. a. 1655<sup>o</sup>), insunt saturae neolatinae tredecim, quarum novem compactiōnem oneiricam ('oneiric framework') exhibent. Item inde a saeculo duodecimeno extant saturae quaedam Menippeae oneiricae, cum aliae tum etiam Petri Burmanni *Somnium sive iter in Arcadiam novam* (acroasis a. 1710<sup>o</sup> habita, postea typis impressa).<sup>7</sup> In satura huiusmodi oneirica, eadem De Smet, '[a]ccording to the long established conventions of visionary literature', inquit, 'the author/narrator meticulously describes the circumstances of his falling asleep and dreaming, as well as how, in his dream, he met a friend who guided him. At the end of the text, the narrator duly wakes up. The core of the satire is thus presented as a revelation of knowledge which the author/narrator could not have obtained in a conscious waking state, whilst being restricted by the boundaries of his earthly, mortal existence'.<sup>8</sup>

Quae structura cum Nicolai Bredal *Oneiro-Kosmo* apprime convenit. Namque versibus **A10-14** somno (sive ἔκστασι, **A20-26**) se dat, **A81-82** sodalem reperit, **A103-105** somno excutitur narrator. Revelatione ut ita dicam extraterrestri sectione prosaica **B** explicata, versibus **C1-14** narrator publicum in nova quaedam corollaria moralico-theologica inducit. Ceterum saturae pleraque neolatinae prosimetrum exhibent.<sup>9</sup> Quod schema Bredal quoque sequitur, etiamsi nec Sencae *Apocolocyntosis* nec Justi Lipsii opus illustre, c.t. *Satyrus Menippeus. Somnium. Lusus in nostri aevi criticos* (ed. princ. 1581<sup>o</sup>) imitatur. Satu-

<sup>6</sup> Ingrid A.R. De Smet, *Menippean Satire and the Republic of Letters, 1581-1655* (Genevae: Droz, 1996), praesertim capitulum tertium, 'Somnium Satyricum: The Literary Development and Socio-Political Function of the Dream-Framework'.

<sup>7</sup> Petri Burmanni *Somnium sive iter in Arcadiam Novam, publice narratum in maiori Academiae Ultraiectinae acroterio ad diem VIII. Septembris [1710]* (Berolini: Chr. Frid. Henningii, 1740).

<sup>8</sup> De Smet, *Menippean Satire*, p. 89. Conferantur Christine Walde, *Die Traumdarstellungen in der griechisch-römischen Dichtung* (Monachi Bavariae: K.G. Saur, 2001); William V. Harris, *Dreams and Experience in Classical Antiquity* (Cantabrigiae Massachusetae: Harvard University Press, 2009).

<sup>9</sup> De Smet, *Menippean Satire*, praesertim capitulum secundum, c.t. 'Humanist Menippean Satire: The Repercussions of Theory'.

rae denique interdum neolatinae fabulis Romanensibus clavicularibus ('romans à clef') adaequandae sunt, cum auctores inimicos suos novis nominibus speciebusve occultos irrideant.

Litteratura autem imaginativa neolatina, cuius generis *Oneiro-Kosmos* Bredalianus est, specimina antiqua agnovit quidem, sed nova quoque exemplaria exhibebat. Teste Mark T. Riley, opera varia imaginativa, velut fabulae Romanenses, breviores historiae fabulosae, commentarii itinera ficticia narrantes, sive poetica sive prosaica seu etiam prosimetrica, 'by a host of superbly trained Latinists throughout Europe whose imaginations were pulled in one direction by the influence of the language and culture of their contemporaries, and in another by the Latin language and culture within which they studied and wrote' scripta sunt.<sup>10</sup>

Licet Nicolaus Krog Bredal quasi saturam poetico-oneiricam interpretatione prosaica interruptam divulgaverit, opusculum autem generi illi 'roman à clef' dissimile esse mihi quidem videtur, cum Bredal personis historicis vix alludat. Porro *Oneiro-Kosmos* non est Lipsianae aliisve saturis vere Menippeis adaequandus. Petri deinde Burmanni fabulam oneiricam elegiaca aliquot disticha complectentem non ita imitatur Bredal, ut philologos sui aevi stultissimos iocose depingat. Demum, quaenam sint exempla fortasse requiritur.

#### 4. De fabulis philosophicis

De satura igitur, non tamen Menippea, deque fabula, non tamen Romanensi clavicularia, agitur. Si Danice scripsisset Bredal, haud nescio an nemini in mentem venisset saturas Menippaeas neolatinas esse perscrutandas. Quid quod *Oneiro-Kosmos*, lingua Latina atque hexametricis versibus exceptis, magis cum fabulis contemporaneis Francogallice et Anglice conscriptis quam cum saturis neolatinis conveniat?

Bene notandum est, saeculo Luminum sive Illuminismi Europaei inter se discretas 'les belles lettres' (litteras elegantiores) et 'les sciences' (scientias) nondum esse.<sup>11</sup> Nam Leonhardus Euler, lumen Aca-

<sup>10</sup> Mark T. Riley, 'Fiction', in *The Oxford Handbook of Neo-Latin*, edd. Sarah Knight et Stefan Tilg (Oxonii: Oxford University Press, 2015), pp. 183-197 (183).

<sup>11</sup> Id quod locutione tunc temporis saepissime usitata *Re publica litteraria*, quae varie

demiарum Scientiarum et Berolini et Petropoli florentium veneratissimum, arcana naturalis philosophiae suis *Lettres à une princesse d'Allemagne* ('Epistulis principi Theodiscae datis') eleganter explicabat;<sup>12</sup> Gottingae Georgius Christophorus Lichtenberg experimenta physica, chemica et cetera necnon et collectionem aphorismorum praestabat;<sup>13</sup> polyhistor Voltarius cum aliis opusculis tum fabula philosophica c.t. *Micromégas* anno 1752<sup>o</sup> in medium prolata, naturali historiae contemporaneae alludebat. De Micromegalo autem illo notandum est, naturam insectorum per microscopium philosophis revelatam in argumento fabulae magni momenti esse.<sup>14</sup> Paulo post, i.e. mense Martio anni 1753<sup>i</sup>, Bredal somnium fabulosum divulgavit. Hic quoque, ut iam demonstravimus, de insectis agitur. Praeterea licentia poetica ad axiomata theologica deridenda auctori usui fuit, praesertim cum Bredal argumento *Oneiro-Kosmi* ad anthropocentrismum qui in aliquot Scripturae Sacrae locis invenitur<sup>15</sup> ironice alludat et personas mundi alieni doctas, ut vocantur, theologis terrestribus simillimas depingat.<sup>16</sup> Ars fabulatoria Bredaliana etiam Voltarium ceterosque eiusdem saeculi philosophos imitatur in materiis opticis et astronomicis poesi miscendis.<sup>17</sup>

variis linguis in 'Gelehrtenrepublik', 'De Lærdes Republik', 'Republic of Letters' vertebar, optime demonstratur. Vide e.g. Hans Bots et Françoise Waquet, *La République des Lettres* (Lutetiae Parisiorum: Bélin, 1997).

<sup>12</sup> *Lettres à une Princesse d'Allemagne*, ed. Andreas Speiser, in *Leonhardi Euleri Opera omnia* (Turici: Orell Füssli, 1911-), Ser. III: *Opera physica miscellanea epistolae*, Vol. II (1960). Introductionem in vitam, theorias, operaque Leonhardi Euler praebet A.P. Youschkevitch, in *Dictionary of Scientific Biography* (Novi Eboraci: Charles Scribner's Sons, 1970-1981), Tom. 4 (1970), 467-484.

<sup>13</sup> Latine legentes videant symbolam Sigridis Albert, 'De Georgio Christophoro Lichtenberg, physico et viro litterario saeculi duodecimeti', *Vox Latina*, 164 (2006), 152-174.

<sup>14</sup> Ira O. Wade, *Voltaire's 'Micromegas': A Study in the Fusion of Science, Myth, and Art* (Princetononiae: Princeton University Press, 1950). *Micromegas* Londinii mense Martio anni 1752<sup>o</sup> primum divulgatus est, sive – ut quibusdam videtur – iam anno 1751<sup>o</sup>: Peter Lester Smith, 'New Light on the Publication of *Micromégas*', *Modern Philology*, 73 (1975), 77-80. Quod ad magnitudinem parvititudinemque attinet, etiam opus celeberrimum a Ionathan Swift anno 1726<sup>o</sup> primum divulgatum, c.t. *Gulliver's Travels* animadvertisendum est.

<sup>15</sup> Vide infra, §7, comm. ad A1-5.

<sup>16</sup> Vide infra, A76-79. Difficile autem est dictu, qui sint illi docti quasi theologi. Ut mihi quidem videtur, Bredal magis ad animum contemporaneum ('Zeitgeist') quam ad individua praecipua alludat.

<sup>17</sup> Ita infra leguntur *Physicis observationibus, qvæ Oculo fiunt armato B4* (de microscopio); *Linea recta Nostri Orbis ... Noctes æquasqve Diesqve Qvæ facit A85-87* (de orbitibus planetarum); etc. Servatus autem est in Bibliotheca Regia Hafniae libellus 240 paginarum manu propria Nicolai Bredal densissime perscriptus, quo excerpta e paelectionibus academicis atque librorum variorum lectione collegerat: *Excerpta Elementa miscellanea Philosophiae Naturalis experimentis plerumqve illustrata, adjectis qvibusdam in Collegio*

Videlicet virum litterarium Bredal se haberi voluit, sensu duplici (ut lingua Francogallica iterum utar) et ‘littérateur’ (viri litteris elegantioribus dediti) et ‘érudit’ (viri eruditii). Hafniae autem, in capite regni gemini Danico-Norvegici, vir litterarius maxime notus medio saeculo duodevicesimo Ludovicus Holberg erat. Totius mundi civis, linguis et antiquis et recentioribus doctus, generum variorum tam elegantium quam scientificarum litterarum peritissimus, studiorum universitatis Hafniensis professor historiae et rector magnificus, protector eiusdem scaenae Danicae quam Bredal noster postea moderatus erat, senex Holberg (qui mortuus est anno 1754<sup>o</sup>, annos sexaginta novem natus) honore omnium ubique afficiebatur.<sup>18</sup> Fortasse Bredal, cuius ambitio in re litteraria manifesta erat, *Oneiro-Kosmo* suo oculos Ludovici Holberg in se convertere cupiebat? Somniumne illud Bredalianum specimen ingenii litterarii dignum erat quod operi magno Holbergiano c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum* (ed. princ. a. 1741<sup>o</sup>), si non par haberetur, saltem super umeros eius poneretur?<sup>19</sup> Has res in medio relinquo.

*Doctissimi D<sup>ni</sup> Christiani Horrebovii dictatis collecta à Nicolao Bredahl* (Kongelige Bibliotek, MS Thott 4<sup>o</sup>, 643). Inter haec excerpta, quae maiore ex parte astronomiam, geometriam, anatomiam themataque similia describunt, capitulum notabile ‘De Magia, tam Naturali quam artificiali, et qualitatibus occultis’ inest (ibid., cap. 54). Quo in capitulo, Ioannis Francisci Pici Mirandulae libros *De rerum prae notione* et Martini Schoockii librum quendam mihi quidem ignotum *De extasi* laudans, Bredal ecstasis his verbis definit: ‘Naturales divinationes de rebus etiam futuris fieri posse ab animo extra se quasi constituto, multi non diffitentur suntque mirabilia ejus rei exempla.’ Re vera exemplum mirabile *Oneiro-Kosmo* Bredal ipse praebuit!

<sup>18</sup> Ludovicus Holberg operum omnium editio critica et – magna ex parte – adnotationibus rerum praedita in interrete gratis iam prostat (vide holbergsskrifter.no sive holbergsskrifter.dk). De *Nicolai Klimii itinere subterraneo* notandum est, Karen Skovgaard-Petersen hoc opus edidisse et una cum Peter Zeeberg et Cecilie Flugt adnotationibus instruxisse (ibid.). *Nicolai autem Klimii iter subterraneum* cum Menippeis saturis comparare posse evincit Sigrid Peters, *Ludvig Holbergs Menippeische Satire: Das ‘Iter subterraneum’ und seine Beziehungen zur antiken Literatur* (Francofurti ad Moenum: Peter Lang, 1987). Nihilominus etiam stimulus contemporaneos Holberg accepisse manifestum est, cf. e.g. Karen Skovgaard-Petersen et Peter Zeeberg, ‘Verdensfjerner matematikere, blodtorstige anatomer og sexhungrende hustruer: Swifts *Gulliver* og Holbergs *Klim*’, *Aigis. Supplementum III* (2014), 1-11.

<sup>19</sup> De admiratione Bredaliana vide e.g. opus eius mutato nomine editum, c.t. *Tanker efter Niels Klims Maade, eller en opmærksom reysende Amerikaners Efterretning, til en Borger i Maanen, om et vist Land og Folk paa vores Jordkugle. Befordret til Trykken af Hans Mikkelsens Halvbroder* (‘Meditationes secundum methodum Nicolai Klimii, sive Commentarii de re publica nationeque quadam Telluris nostrae ab Americano curioso peregrinationem faciente conscripti, et civi Lunari missi. Quos typis imprimendos curavit Ioannis Michaelis frater ex parente uno tantum’) (Hafniae: Paul Herman Hoecke, 1767).

Quid multa? Genus scripturae Bredalianum stimulus ex contemporaneis fabulatoribus philosophicis accepisse patet. Latina autem lingua et, quod praecipuum est, versibus poeticis in *Oneiro-Kosmo* conscribendo utebatur Bredal. Verba Mark T. Riley supra laudata apprime conveniunt ut scopum opusculi Bredaliani intelligamus. Nempe hinc traditio Latina, illinc ‘isti moderni’ stimulus dederunt. Sic id emergit somnium philosophico-heroicum, quod non solum prosimetricum esset et compactionem oneiricam exhiberet, sed etiam illuminismum provehere vellet.

## 5. De Latinitate Bredaliana

Animadversionibus quibusdam de poetae Latinitate praefactionem finire mihi liceat. Indagatoribus Latine callentibus mox patebit, Bredal vix dignum esse, qui inter meliores sui aevi Latinistas habeatur.<sup>20</sup> In re grammatica sunt quaedam conspicua, at scriptori ipsi an hypothetiae sint imputanda, non liquet. Sic neque ‘Discet ... cernat ... evadat’ **A7-9** (pro ‘Discet ... cernet ... evadet’) neque ‘ullam ... Verbum’ **A45-46** (pro ‘ullum ... Verbum’) pro erroribus auctoris habeantur necesse est. Ceterum in editione diplomatica conficienda, cum unicam editionem scrupulose transcriberem, errores huiusmodi non emendavi (vide autem infra, §7). Orthographia denique vetustiore servata (at perspicuitatis causa *s* illas longas mutavimus), saeculum duodecimum secuti sumus, fortassis etiam ipsius auctoris rationem scribendi.<sup>21</sup>

<sup>20</sup> De Latinitate Nicolai Krog Bredal nullam in studiis philologicis mentionem invenire potueram, donec ipse symbolam ‘Astronomy, Latinity, Enlightenment’ publicavi. Praeterea lectores contextus neo-Latini Scandinavici cognoscendi cupidi conferant *A History of Nordic Neo-Latin Literature*, ed. Minna Skafte Jensen (Othaniae: Odense University Press, 1995); ead., ‘Neo-Latin Literature: The Nordic Countries’, in *Brill’s Encyclopaedia of the Neo-Latin World*, edd. Philip Ford, Jan Bloemendal et Charles Fantazzi, Tom. I-II (Lugduni Batavorum: Brill, 2014), II, 1098-1101; Annika Ström et Peter Zeeberg, ‘Scandinavia’, in *The Oxford Handbook of Neo-Latin*, edd. Knight et Tilg, pp. 493-509. Conspectus philologiae neo-Latinæ Nordicae praebent Karen Skovgaard-Petersen et Peter Zeeberg, ‘Recent Work on Nordic Neo-Latin Literature’, *Symbolae Osloenses*, 72 (1997), 172-182; 76 (2001), 201-210; 79 (2004), 179-189; 85 (2011), 226-245. Praeterea lingua vernacula extant Minna Skafte Jensen, ‘Forskningen i dansk nylatin ca. 1970-2014. En oversigt’, *Danske studier*, 109 (2014), 249-269; Henrik Ditlev Schepelern, ‘Dansk latindigtning ca. 1200-1800. En oversigt’, *Museum Tusculanum*, 34-35 (1979), 86-132; Aage Kragelund, *Dansk digtning på latin gennem syv Aarhundreder Med oversættelser* (Hafniae: Aschehoug, 1942).

<sup>21</sup> Conferenda sunt manuscripta quaedam Bredaliana in interrete, <http://dx.doi.org/10.18710/YGK7CO>.

In sectionibus poeticis (**A** et **C**) translator Nasonis se rhythmum Latinum satis bene cognosse demonstrat, etsi lapsus aliquot conspicuos commisit. Quos reperire potui, in tabulam (§8) rettuli, ne adnotationum numerus nimis augeretur.<sup>22</sup>

## 6. Editio diplomatica

ONEIPO-ΚΟΣΜΟΣ.

Id est  
Mundus in Somnio,  
Poëma Philosophico-Heroicum.

*Hei! Homines! qvantilla sumus! qvam valde minuta, si Immensum spectes.*

### A.

Tot nostri causâ sunt infinita creatâ!	1
Tot nobis solis Cœli sunt spatia vasta!	
Tot nobis solis volvuntur in Æthere Stellæ!	
Tot nobis solis agitantur in aëre Pennæ!	
Tot nobis solis reptant Animalcula Terrîs!	5
Hoc reputans Animo, facilè deponere fastus	
Discet, & è Magno qvam sit Pars parvula, cernat:	
Illud ab Exemplo (mille hoc Exempla probabunt)	
Clarius evadat, præbes modò talibus aurem:	
Vesper erat, Curasqve abigens Nox protulit Umbras;	10
Cum mea de varis solvi Præcordia Curis,	
Et Menti placuit non Finibus esse retentam	
Istis, qvos Menti posuit Natura Deusqve.	
Primo introspxi Majestatem Omnipotentis	
Illius & Vires, qvi cuncta gubernat & implet.	15
Hic Mens cœca stupet, valido ceu Fulgure tacta,	
Et quid scit, nescit; cum, qvod scit, nil videt esse.	
Inde retrocedens, qvot vidi millia facta,	
Tot vidi Monumenta Dei, Testesqve Creantis.	
Hæcce diu volvendo Animus labascere coepit;	20
(Ἐκστασιν hoc Veteres appellant) Mensqve relinqvens	
Corpus (ut hoc dicam) saltim cessans operari	
Corpore, non certos coepit sibi fingere Casus;	
Atqve, ut sunt Simulacra Modis volitantia miris,	
Qvæ sibi fingit Homo noctu, cum nec vigilare	25
Nec dormire putes illum. Sic hâc vice visum est.	

<sup>22</sup> Vide etiam Aspaas, ‘Astronomy, Latinity, Enlightenment’, p. 223.

Immensi subitò mihi præsentatur Imago  
 Ignotique Orbis, per eumque ego solus oberrans,  
 Inveni nostro nullum Discrimen ab Orbe  
 Quidam Facies eadem cunctis fere Rebus ineset. 30  
 Multa hinc Sylva fuit, sed rara & dissita paulum  
 Ramos ceu videas nullâ Ratione coactos,  
 Qvi nostris cultis passim inveniuntur in Agris.  
 Hic ego solus eram, Nemo similisque repertus;  
 Hinc cœpere mihi Terrore rigescere Pili, 35  
 Frigidus atque Sudor fluxit de Corpore toto.  
 Hei! mihi! clamavi, tanto num nullus in Orbe  
 Incola? sed nullum responsum venit ad Aures.  
 Rursus clamavi geminata Voce, Qverela  
 Additaque est; ad eam vidi concurrere Turbam, 40  
 Qvorum erat haud Facies haud Vultus noscere promptum  
 A nostro, qvin Vox eadem similisque Figura.  
 Hos ego compello supplex, similisque roganti  
 Adplicor, & longo Sermone placere cupivi.  
 Proh! Dolor! haud eadem fuit istis Lingva; nec ullam 45  
 A me illi, nec ego de illis comprehendere Verbum  
 Tunc potui; soli Gestus tum Sermo fuerunt.  
 Nutibus Ipsorum potui cognoscere tantum,  
 Qvod mirarentur non noti, tamque recentis  
 Hospitis Adventum, qvem nec potuere Sodalem  
 Nec reputare Hostem. Pars hoc, Pars cogitat illud. 50  
 Inde duo ex illis procedunt, meque reducunt  
 Ad Socios, Novitate Rei sine Fine stupentes.  
 Ast ego, ceu captus Lictoribus ad Fora ductus,  
 Opprobrio Mortis meritæ qui pallet, & instans 55  
 Supplicium, tormenta videt, manibusque cruentis  
 Hæret Carnificis jam jamque ferire parati,  
 Sperat adhuc, dum spirat, & a vibrante securi  
 Cæditur, atque Necis misero Monumenta tenentur;  
 Sic ego vix compos Mantis per Praedia ducor 60  
 Horum Hominum, qvorum lubuit cognoscere Mores;  
 Qvanquam me optarem procul istis Finibus esse!  
 Cum tamen ex illis inimicum nil fere sensi,  
 Mens vacuata Metu Fraudes cognovit abesse.  
 Ipse ego de cunctis perlustro Viribus omne, 65  
 Et, quid cuncta velint, quid sint fere singula, disco.  
 Nam simulac Lingvam paulo cognoscere cœpi,  
 Omnem fermè Statum rescivi totius Orbis.  
 Magnum atque immensum credebant esse plerique  
 Ipsum Orbem, qvin Principii, Finisque carentem; 70  
 Et fuerant quoque, qui coluerunt Numinis instar,  
 Atque Creaturæ nullum posuere Creantem.

Hanc stolidam amplexa est vilis Plebs unica Sectam;  
 (Qvanqvam ipsos doctos huic assentire viderem;  
 Non tamen expresse, sed tantum in Corde fovendo.) 75  
 Ast quibus haud placuit Trivis insistere Vulgi,  
 His nova Secta fuit, qvæ insignis Nomine, Docta  
 Dicta est; Hi Numen statuerunt cuncta creasse,  
 Praemia qvod justis tribuit, punitqve scelestos.  
 Ex istis unum associo, fioqve Sodalis 80  
 Ipsius; atqve in Rē factus sum certior omnī.  
 Tunc observavi medio fere semper in Orbe  
 Continuos Motus abeuntes & redeuntes  
 Tempore qvosqve suo Ventosqve exinde venire.  
 Non multum absimiles illis, qvos Linea recta 85  
 Nostri Orbis sentit, Noctes æqvasqve Diesqve  
 Qvæ facit, & Solem recipit tantum bis in Anno.  
 His observatis, compertis ritèqve cunctis  
 Fama meas cupidas etiam pervenit ad Aures  
 Ignivomi Montis positi in Regione remotâ. 90  
 Hoc visurus Iter facio, minuente Labores  
 Flagranti Studio, breviter, pervenimus istuc,  
 Phœnomenonqve velut mihi narravere, repertum est.  
 Namqve prout videas Fumos Fornace repellî  
 Et piceâ obductos Caligine scandere ad Auras;  
 Sic erat Ignivomi Montis Facies; velut ignes 95  
 Vesuvii, aspiceremqve tuos aut, Hecla! Vapores.  
 Ruricolas circum vicina pericula semper  
 Vexabant Terrore gravi, ne tantus Hiatus  
 Et Terram voraret, & in tam dira Sepulchra 100  
 Conjiceret vivos: Motus nam Terra freqventes  
 Edidit, & tremulo Tellus Fragore sonabat.  
 His observatis redii (nam multa fuere  
 Digna observatu) – cuperem cum talia scire  
 Ventus me rapuit, proprioqve locavit in Orbe. 105  
 Finis Somnii.

#### B. *Solutio antecedentium*

1. Ex antecedentibus liqvet, me in Exstasi, in Corpore immani cujusdam Gigantis locatum fuisse, & ipsum mihi ut magnum æstumatum fuisse Mundum. 2. Qvod & in Relatione Qvantitatis ad Me certe ita videri potuerit. 3. In hoc Mundo (ut hoc Vocabulo utar) reperti incolæ nil aliud esse potuerunt, qvam Pediculi & alia parva insecta in ipsius Corpore se alentia. 4. Sylva & Arbores nihil aliud qvam pili fuerunt, in Corpore humano freqventer & ubivis obvii; nam Pilus certè in Respectu ad tale Animalculum considerari potest ut maxima Arbos; cum præterea etiam Physicis observationibus, qvæ Oculo fiunt armato, constet, Pilos suis instructos esse Ramusculis qvaqva versum sese tendentibus. 5. Motus iste continuus in Parte Orbis mediâ apprimè convenit Motui Ventris humani, qvem Respiratio efficit.

6. Montis Ignivomi ut etiam Mentionem faciam, per illum Os Gigantis nostri intellexi; certissimè enim Vapor ille assiduus, qvi ab Ore nostro procedit, minuto tali Animalculo terribilis satis apparere potest. 7. Terræ Motus frequentes nil aliud fuere, qvam Tussis, Tremor &c. &c., qvibus Corpora humana fere freqventer sunt obnoxia Incommodis; & sanè (si tam late extendere Judicium nostrum fas sit) talis Tremor, si validior fuerit, minutis Animalculis in Corporibus nostris versantibus, ut Indicium Mundi ipsorum Ruinæ & Exitii considerari verisimile est. 8. His adde Fragorem istum qvi Tussis &c. Comes esse solet, qvem certissimè tale Animalculum, ut aliquid teribile & mali aliquid portendens Omen considerat. 9. Cum vero tota hæc Narratio in Somnio qvodam consistit, nullus hic reqviri potest Ordo, nulla completa omnium Rerum Descriptio. 10. Cum præterea etiam mediæ in Observatione Observator ex inopinato ad Superos fuerit revocatus.

#### C. Conclusio

O! Homo! qvi vanè tibi cuncta creata putabas,	1
Pone istos Fastus; nam si immenso referaris,	
Vix potes ut Punctum, vix Insectum reputari.	
Qvis scit, qvid reputant, qvid sint Animalcula ubi vis	
Qvæ volitant, reptant, num non & talibus insit	5
Sua Rellgio, Virtus & cœtera, qvæ nunc	
Soli Homines jactant? Num ne illis Bella geruntur?	
Sunt Rixæ atqve Odium, furiosus & Ardor habendi?	
Forsan Homo solus sibi talia vult retinere?	
Nemo negare potest tamen illa & Sensibus esse	10
Prædicta; nam cerno fugere ista Pericula, Mortem	
Viribus ex cunctis; vivunt, moriuntur; ad hæcce	
Conveniunt Homini; qvarè non cœtera plura?	
Saltim Doctorum hoc inter Problemata constet.	

N.K.B.

#### 7. Animadversiones hermeneuticae

**A1-5** Tot nostri causâ ... Tot nobis solis cf. Scripturam Sacram, e.g. Gen. 1.26-28, 9.2-3; Psalm. 8; Mat. 6.26, 10.31; Luc. 12.24 | **A7** Discet scil. homo quisquis, qui Oneiro-Kosmon legat | cernat an cernet legendum? (etiam evadet **A9** expectes) | **A9** præbes i.e. præbeas (pro præbeas modo sive dummodo præbeas) | **A17** quid i.e. quod | **A22** ut hoc dicam Scandanavismus ('for nu at sige det', i.e. ut ita dicam) | **A24** Simulacra Modis volitantia miris cf. Vergili Aen. VII, 89 | **A31-33** locus satis obscurus. Cf. autem **B4** | **A36** frigidus ... Sudor cf. Ovidii Metam. V, 69 | **A45-46** ullam ... Verbum pro ullum ... Verbum | **A48-49** cognoscere ... qvod mirarentur pro eos mirari | **A53** novitate rei cf. Senecæ Apocol. XIV, 3 | **A58** Sperat adhuc, dum spirat cf. proverbium dum spiro, spero | **A59** Monumenta tenentur locus satis difficilis. Ut mihi quidem videtur, aut necis memoria tenetur (scil. a spectatoribus) aut capilli occisi aliave spolia manu tenentur (scil. a carnifice) |

**A65** de cunctis ... Viribus *Scandinavismus* ('af alle Kræfter', i.e. omni vi) | **A85-87** Linea recta Nostri Orbis ... Noctes æqvasqve Diesqve Qvæ facit *hoc loco agitur de orbitis planetarum, quae lineas (vel vias) suas tam regulariter sequuntur; ut ex eisdem leges eruere queant astronomi* | **A91** Hoc scil. Phœnomenon (**A93**) | **A97** Hecla mons ignivomus *Islandiae notissimus* | **B4** Oculo ... armato i.e. microscopio (cf. Georgii Wolffgangi Wedelii Liber de morbis infantum [*Iena: Sumptibus Ioh. Felicis Bielckii, Typis Krebsianis, 1717*], p. 115: 'Vmbilicus ipse inspici debet, etiam oculo armato seu microscopio'; Georgii Danielis Coschwitz Organismus et mechanismus in homine vivo obvius et stabilitus [*Lipsiae: Sumptibus Hæredum Lanckisianorum, 1741*], p. 40: 'Quemadmodum itaque lympha in sanguine arterioso hærens, non nisi oculo armato conspicitur [...] ita in vasis lymphaticis nudo oculo conspicendiā sistit.' *Eadem locutione etiam de telescopio usurpatur*, e.g. Christiani Wolff Psychologia rationalis methodo scientifica pertractata [*Francofurti et Lipsiae: in officina libraria Rengeriana, 1734*], §. 267: 'Ponamus nos per telescopium respicere Jovem & oculo armato videre Satellites, quos nudo videre non licet.') | **B9** nullus hic reqviri potest Ordo de huiusmodi apologia, vide *De Smet*, Menippean Satire, pp. 107-109 | **C8** Ardor habendi cf. C. S. Villanova*e opus, c.t. Supplementum ad Æneida. Seu Æneidos liber decimus-tertius (Parisiis: Apud Petrum Aubouyn et Carolum Clouzier, 1698)*, vv. 537-538: 'sævit in illos / Ira, furorque, & quidquid perfidus ardor habendi.'

## 8. Tabula rerum ad prosodiam pertinentium

*Menda manifestissima: spātia A2, Vēsvii A97, vōraret A100 et Frāgore A102 (apud veteres semper spātia, Vēsvii, vōraret, Frāgore); item Sūdor A36 (apud veteres Sūdor) et lābascere A20 (veterum lābascere)*

*Adverbia in -e desinentia saepius brevia: ferē (ut apud Ausonium) A30, A62, A65, A80 fermē (minus probandum) A67 sed facilē (parum recte) A6*

*Substantiva in -o desinentia iam brevia, iam longa: Œ Hōmō C1 et Nemō C10, sed Nemō A35 et Homō A25 et C9*

*Sigmatismus interdum offendit: punitquē scelestos A75 Caliginē scandere A95*

*Locus certo certius corruptus: sua Relligio C6 an et sua Relligio legendum? ('suspicamur verbum – velut et (&) – excidisse cum res typis excuderetur' *Dirk Sacré, in epistula ad auctorem data*)*

University of Tromsø – The Arctic University of Norway  
University Library  
NO-9037 Tromsø, Norway  
per.pippin.aspaas@uit.no